

procedit manus et inde digiti, ita ex Patre Filius, et ex utroque Spiritus sanctus. Resp. tertio, trop. significare summam Dei virtutem, qua facillime et nullo prorsus negotio dæmonem coercere, non brachio vel manu, seu vi adhibita, sed uno digito quasi potest; velut si nos digito muscam abigimus vel conterimus, quasi velit dicere Dominus: Ego illum Beelzebub sive Deum muscam uno digito ejicio, solo nutu, solo imperio, nullis adhibitis precibus, jejuniis, etc. Quam eandem virtutem communicavit Christus aliquot sanctis, veluti S. Antonio, Hilarioni, Macario, Gregorio Thaumaturgo, qui aliquando solo signo crucis dæmones ex quodam gentili templo, ubi responsa dare solerent ejecit, iterumque ut redirent, misso scripto jussit, quo hæc tria tantummodo verba continebantur: *Gregorius Satanæ: Ingredere*, idque in tanto miraculo Christi potentiam ædituo templi patefaceret; quem ad fidem convertit et diaconum ordinavit, Gregorius Nyssenus, in ejus vita.

VII. Cur dæmon fortis armatus dicitur? Resp. fortem dici, quia vires angelicæ naturæ debitas, quibus longe præstat omnium hominum viribus, adhuc possidet: armatus vero dicitur, quia plurimis modis et dolis nocere nobis conatur. Arma ejus sunt species honorum hujus sæculi, vel etiam malorum apparentium; deinde, creaturæ ipsæ seu abusus potius earum, pravæ affectiones nostræ, vires animæ et membra corporis nostri, quinque sensus, etc. Ut enim David Goliathum proprio ejus gladio peremit, ita fere nostris ipsorum armis, affectibus et sensibus vulnerat nos dæmon.

VIII. Quomodo dæmon in locis aridis requiem non invenit? Resp. primo, ad litteram, loca arida et inaquosa esse deserta et solitudines, ad quæ ordinariæ ejiciebantur et relegabantur dæmones, ut ibi hominibus et cicuribus animalibus nulla inferre damna possent, ut patet in illo dæmone, quem Raphael in deserto superioris Ægypti relegasse dicitur, Tob. VIII. Et hinc non semel conquestos legimus de eremitis, quod etiam in solitudinibus ab eis pellerentur, ut qui undique vexillum crucis erigerent, ut qui non inveniunt, quia non habent unde homines tentent ac vexent. Quemadmodum enim invidus tormentum habet, cum prosperis alterius rebus invidet, requiem vero cum non habet cur invidet; ita dæmon habet tormentum, cum nocere homini nequit, quod omnibus votis exoptat, requiem vero cum nocere potest. Quoniam igitur in desertis locis nocendi occasionem non habet, hinc requiem ibi non invenit, et prout reverti conatur ad terras ab homini-

bus inhabitatas: porro per loca inaquosa intelliguntur gentiles, qui baptismi aquis irrigati non sunt, ut vult S. Hilarius, S. Hieronymus et Abulensis. Pulsus enim a Judæis dæmon per legem et prophetas, abiit ad gentiles, verum ubi ab his etiam per apostolorum prædicationem pulsus est, rediit ad Judæos in sua incredulitate persistentes usque in hodiernum. Invenit enim vacantes fide Christi et bonis operibus destitutos, templum eorum a Deo et angelis desertum ob admissum in Christo scelus: ideoque cum aliis septem nequioribus spiritibus reversus est ad ipsos redditque prorsus cæcos, perfidos, iniquos, obstinatos: factaque sunt novissima eorum pejora prioribus cum absque Deo, Messia, fide, rege, regno, templo sacrificio, sacerdotio in tenebris densissimis degunt.

Resp. secundo, mystice loca arida esse viros religiosæ et austere vitæ, in quibus requiem non invenit dæmon, quia videt eos virtutum præsidio et severa disciplina undique munitos. Abiit ergo ad illos, in quibus pravæ ad peccatum dispositiones reperit, veluti otium, delicias, convivia, choreas, tedium juniorum et precum, murmur et impatientiam, nec difficile ad hos ingreditur, utpote ostio jam aperto. Unde Gagnæus in hunc locum ait: « Bene dicitur quod in desertis penitentiae locis, id est penitentie tactis animis, ubi mollitiei nihil est, sed aspera prorsus vita requiem dæmon non invenit: quamdiu enim solitaria ut passer, peccata sua plangit anima, nulla illic ei mora esse potest; si autem invenerit eam vacantem, bonisque destitutam operibus, ornatamque ac scopis mundatam, id est, deliciis deditam; et eo cum deterioribus se septem ingressus fuerit, pejus illa multo habebit quam antea.

IX. Qui sunt illi septem spiritus diaboli nequiores? Respond. primo, septenarium poni pro multiplici numero, q. d. redibit cum integra dæmonum caterva; hoc enim septenarius significat in ss. litteris. Ita Dionys. Carthus. hic. Secundo, mystice designat septem vitia capitalia, quæ sunt nequiora dæmone, quia longe gravius nocent homini, quam nocere queat dæmon. Hic enim dempto peccato parum aut nihil ei obesse potest, certe salutem auferre nullo modo potest. Sciens itaque istud dæmon, omnibus modis laborat ut ad peccandum homines alliciat. Hinc vir quidam eruditus hanc de adulterino dæmonis conjugio parabolam proposuit. « Quodam tempore diabolo in mentem venit, inquit, ut uxorem duceret, idque dum animo volveret, incredibili amore persecutus est impietatem, adeo ut ipsam, haud diutius ambiendo sibi de-

vinxerit, ex qua etiam fecundo existente matrimonio septem puellas progenuit. Posteaquam autem maturæ videbantur et nubiles esse, cogitavit pater ejus elocare hominibus, volebat hoc pacto illorum amicitiam sibi conciliare. Proinde natu maximam, Arrogantiam, potentibus, in mundo, divitiisque affluentibus, et qui nobilitate generis, aut illustri quodam munere vel auctoritate reliquis antecellerent, copulavit: juniorem autem, Avaritiam, mercatoribus, atque circa rerum solemniores commutationes occupatis adjunxit: tertiam inde, Fallaciam, plebeiis passimque diffusis in principum ditionibus, rusticis operariis et mercenariis adjudicavit: quartam vero Invidiam, opificibus et gregarias artes exercentibus exposuit: quintam omnium optime moratam Hypocrisin, et egregie insinuantem sese meretriculam, sacerdotibus, et qui sanctitatis nomine vulgo conspicui essent, elocavit: sextamque, Superbiam appellatam, muliebri sexui addicavit: de septima autem, quæ Scortatio dicebatur, hoc consilium cepit, velle seipsam, nulli quidem propriam, omnibus vero communem in familia sua retinere, sed si quando libeat illam convenire, cogatur eam apud se quærere: qua ratione consultum esse putabat, quam plurimos amicitiam istam haudquaquam repudiaturus esse, sed imo incredibilem accessum novorum sodalium fore. Et certe non caruit eventu diaboli institutum, ut experientia liquet, maxima pars hominum ejusmodi conjugii irretita ad inferos descendit.»

X. Cur novissima recidivorum pejora fiunt prioribus? Resp. primo, propter ingratitude erga Deum, cujus misericordia priora eis peccata remissa fuerunt. « Servo peior est (inquit Sanctus Chrysostomus, homil. de lapsu primi hominis) qui patrænum post datam libertatem

offendit; beneficiis ingratus est qui datorem tumoris arrogantia despiciat: » et paulo infra: « Sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est, vulnerat, nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat. »

Secundo, propter dæmonis tyrannidem, qui tales aliquando in suam potestatem receptos diligentius custodit et pluribus vinculis alligat, ne rursus ei elabantur.

Tertio, ob peccati consuetudinem, quæ ex crebriore lapsu oritur, hominemque eo devolvit ut tandem peccare contemnat. Quemadmodum enim, qui juxta fabros ferrarios habitant, longo tempore ictibus malleorum assuefacti, nihil molestiæ percipiunt; sic peccatores post diuturnam consuetudinem nullo malorum, quæ in peccato sunt, sensu commoventur. Hinc sæpissime relapsi tristi et repentino fine extincti sunt. Ita Balaam ille cum post seria proposita rediit ad ingenium, et scandalum Hebræis opposuit, inter gentiles in prælio periit. Idem expertus est Pharaon, Saul, Achab. Recentius exemplum scribit S. Bonaventura, in vita S. Francisci, cap. XI. quod est hujusmodi. Canonicus quidam post hanc vitam diuturno tempore turpiter et libidine actam in gravem ægritudinem prolapsus fuerat; cum S. Franciscus lecto affixum adiit, et postquam salutari crucis signo consignasset, pristinae valetudini restituit, hominemque sedulo commovit, ut deinceps a fœda illa vivendi consuetudine abstineret, nec ad vomitum aliquando rediret. At ille piæ admonitionis oblitus, ad veteres impudicitie sordes rediit, et cum in ædibus cujusdam canonici forte cœnasset, tota ædium structura subito ruente, solus repentina morte cæteris convivis illæsis, extinctus est.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

RARE CONFSSIONIS DAMNA, FREQUENTIS COMMODA.

I. Ubi rara confessio, ibi multæ sordes, et e contra. — II. Ubi rara confessio, ibi multæ dæmonis machinationes et vicissim. — III. Ubi rara confessio, ibi faciles lapsus ad graviora. — IV. Ubi rara confessio, ibi facile prodimur dæmoni. — V. Ubi rara confessio, ibi difficilis confessio et contra.

THEMA.

*Cum venerit, inveniet eam scopis mundatam.*

Luc. XI.

Hodiernum evangelium de scopis nobis loqui-

tur, quibus everri et purgari domus solet: accommodate ad hoc tempus, quo Christiani incipiunt evertere conscientias suas pro s. paschali tempore. Sed quia constituimus cum bestiis versari per hoc tempus ubi inveniemus bestiam, quæ cum Christo fuerit in deserto et utatur scopis? Non difficile auditores scribunt de leone, Ælianus, l. de animal. alique, quod oblonga cauda sua, quæ in extremitate floccum pilosum scopis non absimilem habet, vestigia sua arenæ vel molli terræ impressa obliteret, per terram eam trahendo in mundum verrentis, ne ex ejus vestigijs antrum adeoque etiam catuli ejus

deprehendantur. Crediderim ad Christum in desertum etiam accessisse leones, non infrequentes Syriae, ut obsequium ei præstarent. Cum his ergo nunc versabimur, ab eisque discemus scopis confessionis peccata nostra, non semel tantum in anno, sed frequenter obliterare: vel, quod eodem tendit, cum hodierno evangelio domum nostram verrere. Nemo terreatur ab hoc leone. *Catulus leonis Juda*, ait Jacob filio suo Judæ; qui confessio exponitur, Gen. XLIX. Catulus est facile superabilis, qualem dilaceravit in frustra Samson, *nihil omnino habens in manu*, Judic. XIV. Videamus ergo comoda frequentis confessionis, raræ quoque damna.

I. Ubi raro domus verritur, ibi multæ sordes: ubi frequenter, ibi munditia. Aspice aulas vel conclavia nobilium, semper tersa invenietis, quia quotidie purgantur. Contra in tabernis publicis vel tuguriis rusticis omnia sordida, quia raro mundantur. Par ratio de confessione. Ea enim si frequens sit, expurgat omnem labem, etiam parvam: delet insuper magnam partem penarum, propter pudorem confitendi, vim contritionis et absolutionis sacramentalis, penitentiamque injunctam. Naaman septies lotus tenellam acquisivit carnem velut pueri parvuli, IV. Reg. VI. Qui ergo crebro confitentur, nitidam valde ac delicatam et quasi infantilem acquirunt conscientiam; ita ut parvas etiam maculas fugiant horreantque. Septuplicem lotionem Naamani præcepit Elisæus; sed qua de causa? An quia scivit etiam Davidem septuplici peccatorum confessione perfecte lotum et super nivem dealbatum? Ita enim ipse in psalmo suo penitentiali septies confitetur, semel quidem, dicens: *Dele iniquitatem meam*: iterum: *Amplius lava me ab iniquitate mea*: tertio: *Et a peccato meo munda me*: quarto: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*: quinto: *Et peccatum meum contra me est semper*: sexto: *Tibi soli peccavi*: septimo: *Et malum coram te feci*, Ps. L. Septies ergo, h. e. frequentissime peccati sui confessionem repetebat, quia hanc unam medicinam suo morbo præsentissimam judicabat. Unde demum subdit: *Lavabis me et super nivem dealabor*. Propterea Ps. LXXV. recte confessioni adjungitur pulchritudo: *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus*, quia frequentem confessionem sequitur animæ pulchritudo. Audi Bernardum, ep. CXIII. ad virginem Sophiam: *Ama confessionem, si affectas decorem. Confessioni jungitur pulchritudo. Confessionem et decorem induisti*, Ps. CIII. Et sicut nitida domus allicit trahitque ad se hospites, ita munda conscientia Deum ad inhabitandum invitat.

At dices in hodierno evangelio, ad domum

ornatam et scopis mundatam allectum fuisse dæmonem. Respondeo ibi sermonem esse de scopis reproborum malis, qualis est Dei oblivio, incredulitas, præsumptio, etc. quibus everrunt reprobi bonas inspirationes, admonitiones et cogitationes e corde suo, præparantque domum suam dæmoni. Scopæ bonorum confessio est, quæ peccata ejicit et domum Deo adornat. Ut ergo dæmon avet intrare in domum sibi instructam: ita vicissim etiam Deus in domum sibi paratam. Hinc I. Reg. VII. ait Samuel: *Præparate corda vestra Domino, et servite ei soli*.

II. Ubi raræ in domo scopæ, ibi multæ araneorum telæ; nullæ aut raræ araneæ, ubi domum everrunt frequentes scopæ; unde in divitum cubiculis non facile texunt retia sua. Pari ratione si rara sit confessio, dæmon multa mala per suggestiones machinatur in homine, prava desideria, concupiscentias carnis et oculorum. Frequens confessio ea statim dejicit, dum confessario tentationes et suggestiones dæmonis detegit. Quis autem belli dux non facile superabitur aut fugabitur, si quis omnia ejus consilia statim hosti prodat? Scimus regem Syriae nihil potuisse in regem Israel, quamdiu propheta Elisæus regi Israel omnia ejus consilia detexit, IV. Reg. VI. ita nihil poterit machinari dæmon contra nos, si per crebram confessionem omnia ejus machinamenta, quæ in nos molitur, detegamus mox confessario.

III. Ubi raræ scopæ, ibi gignuntur e sordibus variæ bestiolæ, ciniphæ, pulices, mures, etc. non item ubi crebræ; sic ubi peccata diu hærent et coacervantur in homine, ibi facilis lapsus ad graviora. Coma, quæ diu non peccatur, indusia, quæ diu non lavantur, vermiculos gignunt. Patet in Davide, cujus peccatum primum, adulterium, quia non mox ejectum est, peperit alia plura, inde enim David Uriam inebriavit, postea hosti cædendum objecit. Denique, gignit rara confessio magnum peccatorum pondus, quod hominem tandem depremat et pene ad desperationem agit. Typum habemus in Absalone, cujus cæsaries, quia semel in anno tantum tondebatur, gravabat eum, et tandem ramo arboris implexum suspendit, II. Reg. XVIII. Quem vero non gravaret onus peccatorum per totum annum non depositum? Cur enim peccata a prophetis appellantur onera? *Onus F. bylonis, onus Ninive, etc.* et a nostris Germanis *Laster*? Unde nisi a *Last* seu onera? Ideo forsitan Absalonis multis robustissimus alioquin ad portanda onera, quasi sessorem suum velut gravissimum onus ferre diutius non posset, ingressus est cum eo subter

unam quercum, ut ibi appenso hero se exoneraret. Non enim eo ductus dicitur ab Absalone, sed ingressus, quasi destinato ad castigandum Absalonem. Eo igitur sæpe tales inducuntur, ut cogitationibus suis quasi capillis impliciti desperent de emendatione, nec unquam recte confiteantur. Dicit enim mihi: Quis facilius se a debitis expedit? Qui singulis mensibus quæ contraxit, exsolvit, an qui post annum? Nonne tandem ita augetur onus debitorum, ut desperare de solutione debitor, itaque venundari cum omni sua familia debeat? Sane de Sodomitis dicitur, Gen. XVIII. *Peccatum eorum aggravatum est nimis*. Unde factum ut una cum civitate sua, omnique familia, uxoribus et liberis igni traderentur. Audi de hoc Chrysostomum, hom. de Sodomitis, tom. I. « Tale est peccatorum debitum, (inquit) ut si solliciti sumus ad solvendum leve sit; sin negligentibus, erit gravissimum; totam enim simul mergit debentium substantiam. Non curabant Sodomitæ, debita neglexerunt, quotidie neglectu crescente crevit debitum, etc. non erant solvendo, imperavit Dominus debitoribus ut igni traderentur et mulieres eorum et filii eorum, et omnia quæ habuerunt, in satisfactionem cederent. » Sic ille. Sed quam mira res! Sani et sancti homines frequentissime utuntur hac medicina; ægri et mali, qui magnopere indigent, rarissimo.

IV. Ubi raræ scopæ, ibi vestigia pulveribus impressa remanent, quæ hominem produnt: non item ubi frequentes. Impostorum illorum sacerdotum Bel, vestigia nonne in cinere pavimenti sparso deprehensa fuerunt? Dan. ultimo. Quamdiu pavementum nitidum fuit, deprehendi non potuerunt; idecirco et leo, ut diximus, vestigia sua obliterat. Relinquant peccata in homine pessima vestigia, et foedas maculas, e quibus nos deprehendit dæmon, ut gravius affligat, ac demum accuset. At quis nescit quantum noceat urbi obsessæ, si hostis norit ejus defectus, penurias in annonâ, aqua, armis, pyrio pulvere? Nonne omni studio conantur obsessi eos suppressere? Nonne fingunt se prædivites et ab omni re necessaria abunde instructos?

V. Ubi sæpe domus verritur, facilis fit versio: difficilis et multi laboris ubi rara est. Ibi rastro opus, quo adhærens solo lutum defricetur. Simili modo confessio peccatorum, quando raro fit, difficulter fit: facile, quando crebro. Ad cubile everrendum, ubi pulveres tantum sunt, scopæ sufficiunt: ad stabulum repurgandum furcæ et palæ ac ligones requiruntur. Conscientia eorum, qui frequentant confessionem, quasi cubile est: at illorum, qui vix semel in anno se ex-

pian, stabulum est equorum, ubi pene computrescunt jumenta in stercore suo, nec modico labore opus ut vix possint male mori, qui crebro per confessionem expurgant conscientiam, quia semper excubias agunt, vix etiam bene, qui raro valde; quia sui curam non habent; et cum repente a morbis obruantur, difficulter admodum bene et exacte confitentur. Rem hanc alia similitudine sic explicat Hector Pintus, in Ezechiel. capite XXVI. « Sunt nonnulli, qui cum vident gladium rubigine aliqua affectum, illum statim exacuunt et perpoliunt: alii semel in anno, alii nunquam nisi sint in extrema necessitate constituti, et tunc accidunt sæpe, ut non possint gladium e vagina educere, ex quo efficitur ut ensis cum vagina in sterquilinum mittatur: sic sunt nonnulli, cum intelligunt animam esse crimine aliquo contaminatam, confestim se conferunt ad expolitorum, ut eam excolant et perpurgent, hoc est, ad confessarium, ad sanctum penitentiae sacramentum, ubi anima expietur et perpoliatur. Præclare illi quidem, qui illico ad confessionis lavacrum confugiunt. Alii semel in anno, minus pii Christiani tamen: alii nunquam nisi forte cum jam habent mortem in visceribus conceptam. » Sic ille, apposite ad id, quod accidit regi Balthasar, qui cum principibus suis comedebat ac bibebat, licet hostem Darii præ mœnibus esse sciret. Quare ubi is repente civitatem invasit, nescierunt, quomodo ei resisterent. Unde Isaias, capite XXI. illud eis: *Pone mensam, contemplare e speculo, comedentes et bibentes; surgite principes, arripite arma*, Hebr. *ungite clypeos*, Arabice, *tergite et lucida facite arma*, ironice nimirum, quasi dicat: Jam cum tempus est pugnandi, vultis primo expolire et expedire arma: frustra estis, prius factum oportuit. Unde rex acinacem quidem manu arripuit, sed pugnare non potuit; sic eum manu tenens occisus est, sic periit cum rege suo principes, et capta est tota Babylon, uti scribit Xenophon, libro VII. Nimirum regis exemplum secuti sunt subditi et cum eo convivantes in utramque aurem dormierunt. Capita si non præ cum frequenti exomologesi, nec membra sequuntur: alioquin præeuntibus illis, facile secutura. Scribit Origenes, tractat. XIII. in Matth., et Plinius, libro IX. capite XXXV. inter conchyliâ esse unum quoddam maximum et pulchritudine margaritâ intra se reconditâ præstantissimum, quod quasi duccem conchyliâ alia turmatim sequantur. Igitur urinatores illud maximum studio peculiari venantur; eo enim capto, una capiunt facile reliquum eorum agmen, omnesque in eo inclusas margaritas. Quam multas pretiosas margari-

tas, quam multas nobiles animas possent secum trahere in cœlum principes et magistratus, si ipsi præire vellent! Trahere ad frequentem confessionem, si exemplo præluere! Nonne quando David Absalonem fugiens, habitu pœnitentis, nudis pedibus et operto capite flens, ascendit montem Olivarum, omnis populus similiter plorans et operto capite ipsum secutus fuit? I. Regum XV. Non erubescant ergo nobiles etiam personæ, si aliud principum suorum exemplum non vident, saltem Davidis exemplum sequi. Si enim secuti sunt errantem, sequantur et pœnitentem, quemadmodum dicebat Theodosio imperatori Sanctus Ambrosius. David a propheta Nathan de peccato suo reprehensus composuit psalmum quinquagesimum, in quo sunt tot gravissimi doloris affectus et judicia, quot sunt pene verba. Addit historia scholastica, quod admodum credibile est, mox ab ea reprehensione descendisse eum de throno, sedisse in terra, neque erubuisse in omnium conspectu confiteri suum peccatum. Addit Sanctus Chrysostomus, homilia in psalmum illum quinquagesimum aliud argumentum, dum ait, nulla excusatione Davidem elevasse culpam, sed quasi unum de plebe caput regium demisisse. Ille, inquit, *velociter rediens ad conscientiam tamquam fidelis et idoneus servus culpam simpliciter confitetur et dicit: Peccavi Domino. Vides et in dolore ingenuitatem animi. Nec dixit ad eum: O ille tu, cur non consideras fragilitatem humanam, cur non temetipsum carnalem intelligis? Aut nescis me in culmine constitutum esse regali? Cur mihi audacter impegisti crimen? Sed quid dicit? Peccavi Domino.* Regem ergo sequantur, qui non sunt reges; quinimo et qui sunt reges.

## CONCIO II.

MILITANTES SUB BEELZEBUB QUINAM.

I. Qui divinatores consulunt. — II. Qui alios vexant et molestant. — III. Curiosus. — IV. Libertini et exleges. — V. Gulones et parasiti. — VI. Detractores. — VII. Otiosi.

## THEMA.

*In Beelzebub, principe dæmoniorum, eiecit dæmonia.*  
Luc. XI.

Sanctus Bernardus abbas Claræ Vallensis dedicaturus oratorium in agro Laudunensi, reperit illud a muscarum incredibili multitudine adeo occupatum, ut earum sonitus improbusque discursus gravem nimis introeuntibus molestiam generaret. Nullo ergo succurrente remedio, dixit sanctus: *Excommunico eas;* dixit, effecit; siqui-

dem mane omnes mortuas invenerunt: cumque pavementum operuissent, palis eas eiecerunt, atque ita demum basilicam mundaverunt. Refert in ejus vita, libro I. capite XI. Guilielmus abbas. Non minus quadragesima, quam quodcumque templum, Dei cultui sacrata est; et conantur pii omnes eam bonis et sanctis operibus Deo dedicare; sed ecce vobis Beelzebub, Deum et principem muscarum, in hodierno evangelio cum suo agmine obstantem et pia opera impediens. Quid igitur agendum? Excommunicemus istas muscas; atque utinam tam efficaci verbo, quam fuit id Bernardi! Cupio, inquam, ut hæ muscæ omnes extinguantur atque eliminantur, fiantque ex immundis et sordidis bestiolis munda animalia templo et cœlo digna. Quare ut hoc ipsi suapte sponte faciant, describamus aliquos Beelzebub assecelas.

I. Tales censeo, qui ad divinatores et ariolos abeunt consultum de rebus perditis recuperandis, futuris eventibus cognoscendis, morbis sanandis, etc. Beelzebub enim multorum sententia a muscis circumseptus, ob carnes ei sacrificatas et in muscæ formam effictus responsa quærentibus dabat, ad eumque misit in Accaron Ochozias rex ægrotans, interrogatum an recepturus esset valetudinem; propter hoc correptus ab Elia, denuntiante ei mortem propter illam impietatem, IV. Reg. I. Et sane ingens pudor erat regem Hebræum relicto Deo vero mittere ad muscam et consulere eam de vita sua. Et quid aliud sunt arioli et divinatores, nisi muscæ, vilissimique homunciones, aniculæ et rusticelli delirantes? Muscis igitur viliores censendi sunt, qui consilium ab illis muscis petunt vel expectant.

Non diffiteor per muscas illas vera interdum prædici, vel opem petitam obtineri, non ideo tamen licitum uti earum consilio vel opera; siquidem et Beelzebub contra muscarum multitudinem ac noxam invocabatur et subinde opem ferebat, unde *myagrum et myodem*, hoc est, muscarum venatorem et interemptorem appellabant eum gentiles, teste Pausania, in Arcadicis, Plinio, libro VIII. capite XXVIII. et aliis, interim tamen invocantes eum idololatræ gravissimum scelus admittebant. Quis non indignatur, quando audit christianum aliquem principem implorare Turcarum auxilium contra Christianos, hostes suos? Quis enim nescit Turcam non tam Christianis, quam sibi militare, cum in aciem prodit, nec unquam restituere, quas Christianorum terras occupat? Quanto vero indignius atque intolerabilius est videre Christianos currere ad dæmones pro ope vel consilio? Quid enim ipsi quærunt nisi ruinam nostram?

II. Inquieti homines, qui alios divexant atque infestant, id quod muscarum adeo proprium ac solemne est, ut hunc in finem nasci videantur, quo patientiam hominum exerceant. Reperiri autem hujusmodi homines testatur apostolus ad Galatas I. *Sunt aliqui, qui vos conturbant, inquit, et volunt convertere evangelium Christi*, hoc est, tradere ad Judaismum, ut evangelium famulari debeat et subesse legi Moysis. Hujusmodi muscæ infestissimæ sunt imprimis hæretici, non antiqui solum, quos Sanctus Augustinus, libro contra Fulgent. Donat. capite XIV. comparat muscis ex variis rationibus, sed etiam nostri temporis, qui cum elegerint sibi evangelium recens, quod libertatem carnis eis concedit, et ab omni jugo absolvit, trahunt evangelium Christi ad suum illud, et seligunt inde Scripturas, quæ videntur eis servire ad stabiliendam et tuendam libertatem suam: similes Proculi, teterrimo latroni, qui viatores suo lectulo applicare solebat, et si quidem proceriores essent, amputatione pedum decurtare, si contra breviores, nervorum extensione lacerare, teste Plut. in Theseo. Sic omnino hæretici, ut ad modum pravæ mentis et defensionem libertatis suæ sacras Scripturas fingant, nunc demunt, nunc de suo addunt, nunc sensum pervertunt, et hoc ipsum ex Spiritu sancti dictamine facere se jactant. Addidit Lutherus Sancto Paulo particulam *solum* scribenti: *Arbitramur justificari hominem per fidem, Romanorum III. dempsit Petro verba illa per bona opera*, II. Petri. I. versu X. Alias Scripturas trahunt ad suum sensum maxima violentia et temeritate, uti traxit in conventu Basiliensi Lutherus ea verba Christi: *Non veni pacem mittere, sed gladium*, quasi bellum suaderet, non pacem: et illa Pauli: *Si dormierit vir ejus, liberata est*, III. Corinthiorum VII. quasi uxor dormiente viro possit alteri consuescere: et illud ad Timotheum: *Noli adhuc aquam bibere*, epist. I. cap. V. quasi vinum episcopis præcipiat. Nati etiam ad hoc videntur hæretici, ut Ecclesiam exerceant, et in humilitate ac timore oves Christi contineant. Unde Sanctus Augustinus, epistola CV. ait: « Hæreticorum inquietudine, ut Scripturas vigilantius perserutemur, unde, ne ovili Christi noceant, possit eis occurri, tamquam de somno ignaviæ nostræ exercitatur industria. » Eadem ratione Isaias, capite VII. Ægyptios appellat *muscas*, quod stia infestatione punirent, excitarent et in officio continerent Hebræos: *Sibilabit Dominus muscæ*, hoc est, Ægyptiis, qui ob calidissimam regionem et insuetas pluvias muscis abundabant. Denique, sicut muscæ non vivunt diu, ita et hæreses parum

durant. Inter artificium Norimbergensium Regiomontani mathematicis eruditorum delicias erat muscam ferream ex artificis manu velut egressam convivas circumvolitare, tandemque veluti defessam in domini manum reverti, Petrus Ram. libro II. proœm. mathem. Musca talis Lutherus fuit, a dæmone fabrefacta et e manu ejus missa; ferrea, quia ferro, ut ipse supra dixit, propagata, circumvolavit ea Germaniam: verum jam defessa manifeste cernitur deficere, brevi reditura in oreum, unde prodiit.

III. Curiosus. Muscæ omnia rimantur et nihil fere clam ipsis haberi potest, quo non penetrent. Eo sensu Plautus dixit in mercat. Actor. II. sect. III. *Musca est pater meus, nihil potest clam habere illum, nec sacrum nec profanum est, quin adsit ibi illico.* Notissimum etiam muscas sua curiositate capi, dum per angusta vitrorum foramina ingrediuntur in muscipulas suas, et ibi cum exitum non inveniunt, merguntur maximo numero. Aliæ dum in dulces liquores vel involant, vel se immergunt, inviscatæ et mersæ pereunt. Idem agunt curiosi, qui dum omnia amantur, nihilque non penetrare volunt, Scripturas etiam sacras, quas non didicerunt, scrutari et exponere, sæpe illaqueantur, inviscantur et merguntur, uti superiore sæculo experti sumus in novatoribus, qui e Scripturis sibi incognitis absurdissima dogmata ad suam et aliorum perditionem eruerunt. Vastum nimis flumen, imo mare est Scriptura sacra: *In quo agnus ambulat, elephas natat*, ait Sanctus Gregorius, in proœm. moral. Multæ enim in ea sententiæ videntur ignorantibus, qui phrasin Scripturæ et modos loquendi nesciunt, esse sibi contrariæ: multa sunt adeo stupenda, ut incredibilia videantur. Sufficit inductis audire a doctoribus, quæ ad bene beateque vivendum faciunt: nihil opus eis in Scripturas et arcana Dei cognoscenda se immergere. Unde fr. Egidius, comes Sancti Francisci cuidam de inscrutabili prædestinationis mysterio multa inquerenti dixit: *Sufficit ripa maris ad lavandum pedes, manus et totum corpus: stultus est qui altum petit: sufficit scientia bene beateque vivendi*, ut in ejus vita, append. de sent. ejus. Sanctus Augustinus, tract. I. in Joan. refert curiosum ejusmodi catholicum a quodam Manichæo ad ipsius hæresim, occasione unius muscæ facillime perductum. « Nam nescio quis, inquit, tædium patiebatur a muscis; invenit illum Manichæus tædio affectum et cum diceret se non posse pati muscas et odisse vehementer illa, statim ille: Qui fecit has? inquit. Et quia tædio affectus est, et quia oderat illas, non ausus est dicere: Deus illas creavit, erat autem catholicus. Ille